



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCLXXIV. Ioannis Papae VIII. Ad Constantinvm Sacerdotem.  
Excommunicat eum, quod absque sua licentia ab archiepiscopo  
Rauennate ad Fauentinae ecclesiae episcopatum promotus fuerit: ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

rum ciuitatum conscribi simul ecclesiis, & in qua ab initio extitit, & ad quam confugit, quasi ad potiorem ob inanis gloriæ cupiditatem: & ideo eos ad suam ecclesiam reuocari decernimus, & de illis amplius nullo modo recipias. Te autem aliquid amplius agere cauere prorsus oportet, ne sanctorum patrum iudicio, quod contra huius regulæ transgressores prolatum est, damnari omnino merearis. At si aliquid inter eos aduersi exortum fuerit, canonice inter eos diffinias: saluo sedis apostolicæ honore, atque vigore, saluoque tuæ ecclesiæ priuilegio. Et præterea sacerdotes, & clericos Placentinæ ecclesiæ, quos excommunicasti, ut ab eadem excommunicatione absoluas, quoisque tempore congruo tu cum eis Romam ad Synodum pariter veniatis. Data mense Iulio, indictione XIV.

## EPISTOLA CCLXXIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CONSTANTINVM SACERDOTEM.

Excommunicat eum, quod absque sua licentia ab archiepiscopo Rauennate ad Fauentinæ ecclesiæ episcopatum promotus fuerit: prohibeturque eum illius ecclesiæ administrationem attingere, donec ad Synodum Romanum veniat.

*Constantino sacerdoti ecclesiæ Fauentinæ de plebe sancti Petri Transiluanii.*

**A**UDIENTES te esse quasi ad episcopalem honorem a Romano Rauennate archiepiscopo, sine nostri pontificii auctoritate, seu licentia, & absque canonicae institutionis regula enormiter promotum; his apostolatus nostri literis ex Dei omnipotentis, sanctorumque Petri ac Pauli apostolorum principum auctoritate, nostroque apostolico iure, te excommunicamus, ut nullo modo habeas licentiam aliquid de episcopali officio peragere, aut ipsam Fauentinam ecclesiam quoquomodo inuadere, neque in pleibus, vel rebus, seu hominibus ipsius ecclesiæ, aliquod dominium agere præsumas, usque quo cum eodem Romano archiepiscopo tuo, \* octauo Kalendas Octobris quam, Deo fauente, celebraturi Romæ erimus, tuam specialem rebus præsentiam exhibere procures. Nam si

*Concil. Tom. 24.*

S f

contra hanc nostram apostolicam iussionem, & post huius nostræ excommunicationis sententiam, aliquid de ipso episcopali ministerio agere præsumperis, vel in omnibus, quæ ad eumdem episcopatum pertinent, temerario te ausu intrittere tentaueris, atque ad denominatam Synodum occurrere postposueris; scias pro certo, quia non solum omni ecclesiastica te communione priuabimus, sed etiam synodali decreto a sacerdotali honore te sanciemus alienum existere. Data xvi. Kalendas Augosti, indictione decimaquarta.

## EPISTOLA CCLXXV.

IOANNIS PAPÆ VIII.  
AD ROMANVM ARCHIEPISCOPVM.

Ad Synodum Romanam sub poena excommunicationis venire iubet, vt ad ea, quæ obiiciebantur, respondeat.

*Reuerendissimo & sanctissimo confratri nostro Romano archiepiscopo.*

**Q**VIA iampridem missis tibi per Ioannem venerabilem episcopum Montis Feretrani, apostolatus nostri literis, ad synodale te collegium pro ecclesiasticis dumtaxat vtilitatibus nobiscum pariter celebraturum occurrere iussimus, & tuam nobis contempsti præsentiam exhibere; nunc multis te criminibus irretitum, multorumque hominum accusationibus horrendis impeditum, & præcipue manifesto periurio esse pollutum, agnoscentes, hac secundæ vocationis nostræ auctoritate ad venerabilem Synodum, quam, Deo fauente, oœtao Kalendas Octobris futuræ quintædecimæ indictionis, erimus celebraturi, omni occasione, vel mora postposita, vna cum omnibus suffraganeis tuis episcopis venire iubemus: quatenus ibi coram fraterno, & venerabili episcorum coetu, pro omnibus tibi obiectis rite examinatis, ore proprio valeas respondere, & te innoxium demonstrare; nam si aliqua temeritate tumidis, vel inobedientiæ stimulis motus hanc nostram apostolicam & canonicam vocationem, quam tibi primitus per Deltonem, seu & modo per Ioannem Callensem venerabiles episcopos direximus, paruipendendo ad præfatam Synodum venire contempseris; scias pro certo,